

favit à creativo influxu DEUS in operibus naturæ ordinariis & conservativo duntaxat gaudet, datâ corporibus ipsis naturali & intrinsicâ potentiâ multiplicandi se juxta speciem suam) creari, cum modo agendi ordinario, tum generatione ipsâ confirmamus. Ordinariè quæ fiunt, à DEO immediatè non fiunt, se à DEO & à natura, DEUS enim non sine naturâ, nec natura sine DEO agit. Extraordinariè quæ fiunt, naturam excludunt. Hic DEUS sine naturâ agit. Ordinariè fieri res rerumque formas in confesso est. Non ergò solius DEI sunt opera, sed & DEI & naturæ. Generatio novæ essentiae productionem infert. At non producit essentiam, quod non formam producit. Forma enim dat esse rei formaliter. Venit ergò à generante forma, non à DEO immediatè, deficiente naturâ. Quæ rationes non pro formâ canis & quercus tantum valent, sed pro omni formâ, pro omni corpore ordinariè & verâ generatione producenda. Optimè *Dn. D. Thummius de Traduce p. 29.* Fit inquit, contradictio, vera generatio consistit in productione formæ & verè homo hominè generat, tametsi anima nõ producat ab homine. Si vera generatio in productione formæ consistit, & homo hominè generat, ergò & formam producit. Sic *B. D. Meisnerus part. 1. Phil. Sobr. sect. 3. c. 6. q. 1. p. 919.* Falsum est, quod homo generet hominè, etiamsi anima creatur. Homo enim sine animâ non est homo, cum anima forma sit, & esse det homini. Qui igitur non producit formâ hominis, is non producit hominem, homo enim sine formâ suâ quæ est anima, non est homo. Atqui parentes non producunt formam hominis: Ergò nec hominem.

§. 7. Quibus sententiis singulis misis, utpote falsissimis, verissima illa prostat, quæ formas traduci, è natura probat, quamq; comprobant Philosophi pariter ac Theologi acutissimi atq; Excellentissimi. Ubi tamen notes velim, traducem in primâ & nativâ suâ acceptione esse propaginem ab arbore sectam & in aliam arborem, seu ejusdem seu diversæ speciei traductam, ut generationis opus perficiatur. Ubi monent rei illius periti, frangendos esse surculos prægnantes, gemmisq; tumentes, hos acè conjungendos & adglutinandos esse trun-

co,